


POTENTISSIMO ET SERENISSIMO

LUDOVICO CAROLO BORBONIO,

EUGARUM COMITI,

REI TORMENTARIÆ PRÆFECTO,

AQUITANIÆ PROREGI.



QUÆSTIO MEDICA,

Cardinalitiis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die 20 Martii 1721.

M. FRANCISCO AIGNAN,
Doctore Medico, Præside.

An ab animi pathematis functionum læsio?

I.

SANITATEM in æquabili & recto functionum exercitio positam contendimus, quæ si ferientur aut lædantur, æger homo, pro vitâ, mortem trahit perennem; si planè cessent, irremeabilis calcanda via læthi. Vitæ unicum solatium optima valetudo, (a) λῷστον τὸ ὑγιαίνειν, illa est cujus præsentiâ vis corporis & forma constant, cui divitiæ & quæcunque apud homines in pretio sunt, inservire necesse est; blandissimum oppidòque divinum bonum & vitæ instar umbræ fugientis exquisitissimum condimentum. Quid enim insculptâ sanitate optabilius dici vel excogitari

a Aristot. lib. 2. Rhetor.

poteſt? nil profectò. Quæ, obſecro, opes vel attalicæ corpus oblectare poſſunt, dùm morborum torturis miſerè excruciamur ac tabeſcimus? cupiunt omnes valere, inſiſtunt tamen iis quæ citiſſimo gradu & recto tramite ducunt ad mortem. Quid agendum, agnoſcunt: meliora vident probantque, ſequuntur deteriora. Heu adulteratæ mentes! nullum à ſummo Numine munus conceſſum præſtantius, continuiis animi perturbationibus jactati, pro nihilo ducunt: invidiæ, iræ, ambitioni dediti, honoribus divitiiſque nunquam ſatiati, quò plus habent eò ampliùs expetunt. A Poeta Græco longè ſentiunt.

Ὑγιαίνειν μὲν ἄριστον ἐστι·
Τὸ δὲ δεύτερον, καλὸν φυὴν γενέσθαι
Τρίτον δὲ τὸ πλουτεῖν ἀδόλως (a)

a Apud Platon. lib. 6. de Republic.

Non minus à Menandri abhorrent ſententiâ:

Οὐκ ἔστιν ὑγιείας κρεῖσσον οὐδὲν ἐν βίῳ.

Quis jam de ſanitate tuendâ ſapienter ſollicitus? bonorum jacturis & fortunæ ludibriis illæſus: felix quem vita umbratilis à curis adulatorumque blanditiis amovet, & rebus in arduis non ſecùs ac bonis mentem æquam ſervare monet. Non ſemper ſævit dirus Aquilo, ſedatiſque tempeſtatibus cœlo ſereno fit tandem æquor tractabile. Felicitas una rectè valere; quidquid itaque eam turbare poteſt procul rejicias? fugaces labuntur anni & qui terræ munere veſcimur, omnibus manet enaviganda triſtis Acherontis unda, luſtrandaque ſunt Plutonia regna. Proh dolor! Exortis ex conſtitutione aëris & tempeſtatum alimentorumque vitio morbis ineluctabilibus, indeſinentet objici! motos præſtat fluctus componere eiſque occurrere. Suâ ſorte contentus quiſque vivat; præſentibus gaudeat; divis cætera permittat, quid ſit futurum cràs quærere ſecurus. Licet votis non faveat injuſta & inconſtans Fortuna, repulſæ neſcia ſordidæ virtus, intaminatis honoribus fulget; invidetur, non alget.

Rebus anguſtis animoſus atque
Fortis appare: ſapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

II.

DUPLICI parte conſtat omne vivens ſolidis & fluidis: tertiam homini à conditore infuſam ratio demonſtrat; hæc à corpore toto genere diſcreta, ψυχὴ Græcis, nobis verò anima. Vivunt & officio ritè defunguntur bruta; functioneſque hac poſtremâ parte deſtituta debitè obeunt. Jugi & æquabili fluidorum circuitu vegetant, nutriuntur, tenduntur, relaxantur partes ſolidæ. Motum omnem, impetum & ἐνέργειαν à liquoribus deducito: ſolida ex ſe inertia; fluida verò quietis impatientia. Unde tam vecors innovandi libido? quâ auctoritate, quâve ratione ſolidorum vires fluidorum viribus longè præpollere aſſeritur? intempeſtivam mitte verecundiam; ob oculos, quæ majori fruuntur elaterio, habeto; Plantæ & arbores ex ſtaminibus ligneis ſeu fibrillis quibus ſucci elaborantur & deferuntur, muſculorum inſtar diſpoſitis, paralle-

lis, nodoſis interſectionibus ſuffultis, contexuntur, mille modis flectuntur, contorquentur & incurvantur virideſcendentes & ſuccis irroratæ; ſicceſcentes vel leviſſimo niſu franguntur, ſcinduntur. Ferrum poris reſeratis & materiæ ſubtili perviis flexile; candens verò in gelidam immergatur aquam, conſtrictis hiatibus fragile. Quæ factis olim comprobata Medicina, nunc in figmenta tota abit. Quidquid moliuntur fluida à ſolidis mutuare dixeris? non omne tulit punctum qui certis incerta & veris falſa ſubſtituit. Contrahuntur muſculi præſentiâ fluidi, relaxantur defectu; antagoniſtarum eadem licet oppoſita ratio. Contrahuntur villi tendinei propriâ vi, nullo ſuperveniente fluido? eſto; cur muſculus contractus majorem capacitatem conſequitur? creationis inſtanti contractæ erant partes; quibus quæſo microſcopiis fidem adhibuiſti? aut pro contractione collapſum autumaſti? Fluidorum ſolâ potentiâ fit tenelli embrionis partium evolutio; micat cor, pulſant arteriæ, excernuntur liquores diverſi in propria colatoria; illis inchoata vita procraſtinatur & utiles vel individuo vel propagandæ ſpeciei, vulgò recrementa, conſervantur; alii verò inutiles & noxii foràs amandantur, excrementa dicta; ſuum ſeorſim ſinguli munus abſolvunt; nec alter alteri nocet. Salivali humore, gaſtrico, pancreatico, bile, alimentorum coctio peragitur; lymphâ, nutritio; ſpiritibus ab ipsâ lymphâ, tenuitate tantùm diſcrepantibus, vigent functiones animales. Quid multa? abſque fluido nulla ſubſiliendi reſiliendique poteſtas. Licet ſolidorum vis, abſque fluidorum interventu fruſtranea; ad juſtum tamen functionum exercitium requiritur priorum apta conformatio; quâ fluentium impetum ſuſtinere queant aut urgentibus obſequi. Ex vitioſâ partium fabricâ in poſteros tranſlatâ, quàm plurimi morbi hereditarii. Sic fibrarum nimiâ tenſione, melancholia, mania; exoſtoſibus, tuberculis, epilepſis: texturæ pulmonum relaxatione & tenuitate, phtyſis; vaſis articulorum nimiùm amplis, arthritis; tubulis item uriniferis, calculus; debitè conſtitutis liquoribus nec à præſcripto motu deflectentibus, functiones integræ: citatiùs lentiùſve procedant, ordo & animalis œconomia pervertitur. Quot viciſſitudines tum inſpiſſatione, tum rarefactione experiuntur liquores? Quot itaque mala animi παθήματα ſecum inferunt. Motuum inordinationes, ἀταξίαι, ἀνωμαλίαι, in fluidis perindè atque in ſolidis; hinc incandeſcentiæ ſanguinis, febres, inflammationes: hinc ſyncopes, lipothymiæ. Apertâ pandoræ ciſtâ ægritudinum uberrima ſeges & ilias fluit, affigiturque humi auræ divinæ particula.

III.

RUDIS & indigeſta moles corpus ſine animâ, nec à cæteris animantibus homo, ni eâ inſtructus, ſecerneretur. Spirant pulmones, palpitat cor in brutis, concoquunt, excernunt, vitalibus ideò & naturalibus muniis vacant; ipſis inſitum inditumque naturale vivendi deſiderium; ad vitæ perennitatem & ſecuritatem alimenta naturæ ſuæ apta idoneaque ſeligunt. Immortalitatis quaſi avida, generant, ſibique ſimilia

procreant; non ſemper conſtanti valetudine fruuntur, remedia inquirunt, urgentibuſque morbis præſentanea habent & vitam ulterius protraherent; ſed quâ tenemur, eâdem mortis neceſſitate obſtricta ſunt: ſuo modo gaudent, ſuo modo quoque furunt, dolent, pavent. Peculiarem mechanicam profitearis? organorum artificium, liquorumque propulſionem & determinationem arguas? αὐτομάτων aut ὑδρόλικων inſtar moveantur? Diſpari ratione naturales & vitales functiones in homine abſolvi, cave fingas? quoſdam populos ab importuno hoſtium conſpectu, interceptâ ſpontè reſpiratione ſe liberare fertur; ad alios phaleras, nec inanibus paſcimur fabellis. Animi παθήματα à ſolâ mente pendere quis ſatis inſciens affirmaverit? cur parentum indoles & mores in prolem transferuntur?

Fortes creantur fortibus & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant Aquilæ columbam.

Cur quæſo, ad iram, ad hebetudinem proclives ex furibundis, hebetibus oriundi? cur ex lacte nutritio? tot ſuguntur variæ affectiones, quas tollere ſæpius nemo poteſt & furcâ naturam expellas uſque ſemper recurrit. Tot vitia in animam forſan refundes? injuriâ quidem; immortalis enim nullâ labe contaminari poteſt. A corpore potius repetas? nec ideò quod anima operationes ſuas conſequenter ad motiones excitatas eliciat, ob quodvis in corpore delictum plectitur. Perverſorum motuum & judiciorum erroneorum aliàs conſcia; quod animæ naturæ repugnat. Quo pacto itaque functiones animales eliciuntur? Unionis lex abundè ſufficit: eâ ſtabilitâ corpus inter & animam, occaſione quarumdam in corpore motionum certæ cogitationes in mente exoriuntur & vice versâ. Datur, ut ità dicam, æquilibrium inter utramque ſubſtantiam. Mutatur & evertitur pro diversâ diſpoſitione atque ſuccorum temperie; unde hominum pro ætatis, vitæ generis, diætæ, ſexûs ratione, regionis, habitationis loco, diverſi affectus. Animæ cum corpore neceſſitudinem apprimè deſignavit hujus ætatis Philoſophus poſuitque in mutuâ & naturali conſpiratione, conſenſu & cognatione idearum animæ cum cerebri veſtigiis & παθημάτων nomine motiones à motu inordinato ſpirituum animalium intellexit. Secùs phreniticorum, maniacorum & ſomniantium deliriorum cauſa abdita nec aliâ viâ explanaretur. Inconcuſſum ſit illud axioma, nihil eſſe in intellectu quod priùs non fuerit in ſenſu; hâc opinione imbuti Priſci Phyſici, ſed ad animæ originem minus attenti, eam alii corpoream effinxerunt, illam alii initio creari & mori, harmoniam, ignem, aërem, aquam, ſanguinem ipſum ex atomis conflatum putarunt;

Nunc animum atque animam dico
Conjuncta teneri.

Inter se, atque unam naturam conficere
Ex se.
Is tibi nunc animus quali sit corpore
Et undè
Constiterit, pergam rationem reddere
Dictis.
Principio esse aio persubtilem atque
Minutis
Per quam corporibus factum constare.

IV.

PRÆVIAM dispositionem in cerebro requiri ad imaginationem, judicia & animi παθήματα, jam dilucidè comprobatum. Pro primariâ præcipuâque passionum sede cor plurimi acceperunt. Quot modis sanguinis æquabilitatem in circuitu perturbare possunt, totidem functiones labefactant; variari pro varietate motuum, quis inficias ibit? inæqualem sanguinis circuitum in statu naturali, dices-ne? Ex vasis quidem latioribus in strictiora transmeat, non tamen acceleratur aut retardatur. Multiplicantur arteriolæ pro sanguinis per magnam arteriam delati quantitate: æquo pede procedit; plus temporis insumit diutiusque moratur in minutissimis tubulis. Quid mirum? Breve spatium citiùs percurritur quàm longum; eâdem tamen velocitate fluida progrediuntur. Aut citatior sanguinis motus aut remissior. Citatiore, quâ vi propulsus sanguis latera vasorum feriet? Ruit fluidorum ordo; intensior fermentatio; pulsus vehemens, celer, durus, frequens, inæqualis. Secretiones non uno tenore, perverso prorsùs succedent. Neglectis orificiorum configurationibus aut ludibrio habito humore analogo transcolabuntur liquores. Stagnationes phlogoses producturæ partes infarciunt; gravati pulmones anhelant. Transpiratio abundantior, aut copiosior sudor. Fermenti stomachalis, bilis succi pancreatici parcior separatio coctioque feriatur. Tremula vox, tremula membra; inæquali fluxu spiritus irradiant & vivificant. Maximè mobiles & expediti, impetuque vehementi fibras cerebri tensas & elasticas succutiunt: hinc molestæ vigiliæ. Vibrationibus quasi monitionibus docilis & obsequiosa anima, ideas conformes suscipit; idearum conjunctione prout duæ aut plures fibræ moventur judicia elicit simplicia vel composita. Remittatur cordis motus aut lentescat; sanguinis fluiditas nativa motusque intestinus otiantur. Pulsus debilis, inæqualis, intercisus, formicans, vermicularis. Segniter protruso sanguine, illa secretionum uberior transpiratio, nulla, aut saltem multùm imminuta. Tardescit alimentorum digestio perperamque se habet; pro nutritione totius corporis emaciatio; hebescunt sensus; solvuntur vires; ægrè moventur membra. Per fle-

xuosas vias & anfractus minutissimorum vasculorum pervasurus sanguis, diametris tubulorum molleculas ampliores offerendo eâdem quâ defertur quantitate non redux, distenduntur vasa; comprimitur universa moles cerebri vasculosa & glandulosa; atonæ flaccescunt fibræ torpentibus spiritibus importunus obrepit somnus; non vivida imaginatio, lenta & tarda memoria, debile judicium. Quid? fatiscunt functiones animales. Expositorum symptomatum causam & originem inquiris? hæres? adesdum paulisper, ignoras quid possint, quidve ferre recusent animi perturbationes? ad sensationes jure referri possunt intentiora animi παθήματα, nec differunt à sensationibus cæteræ mentis operationes, nisi quod illæ à motu spirituum placido lenique fibrarum succussione excitentur: aliæ verò vehementiori spirituum agitatione & fortiori fibrarum vibratione producantur. Sensationibus itaque conferantur tensiora aut fortiora animi παθήματα, vi siquidem eâdem velocitate & impetu spiritus aguntur & propelluntur, fibræque cerebri pari succussionum numero quassantur. Sensationes vel externæ & ab objectis ambientibus, vel internæ, & internâ commotione promoveri notum. Ritu consimili animi perturbationes prodire, rationi consentaneum.

V.

MUTUUS consensus, mutua functionum conspiratio: unâ offensâ quasi per sympathiam subsiliunt cæteræ & privato infortunio compatiuntur. Nervorum liquorumque communio. A statis muneribus simul descifcunt; nec nisi actû aut poten iâ suis defungantur officiis, stat actionum integritas. Quàm misera quantùmque lugenda mortalis hominis conditio; firma, valida optimèque constituta sint solidarum partium stamina, ordine & symmetriâ sibi exactè respondeant, inutilem apparatum exhibebunt, brevi dejicientur in horasque mutabuntur. Sanguis licet quantitate non exuperans, sed rarefactus vasa prætermodum distendet, aut citatiori motu adactus turbas ubique & dissidia suscitabit, aut lentè acto concidit solidorum mutuatum à fluidis portentosum robur & evanescit. Quid igitur timendum præstant intensiora animi παθήματα? quibus tantam inesse potentiam funesta cautèque vitanda comprobat experientia. Homines meditabundos videas infelicioris valetudinis; ægrorum turbam densissimè coagmentant luxu perditi, in scorta furentes, in aleam insanientes, temulentiâ vesani & quos torquent scelerati affectus aut perdunt cupiditates. Vim maximam habent animi perturbationes, non solùm corpus à naturali statu in morbum conjiciunt, sed & repentinam mortem interdùm afferre queunt. quæ priùs tranquillè & pacatè peragebantur mox commoventur & turbantur. Immodicâ adventante lætitiâ, nimis hærendo objecto, nec aliò derivatis spiritibus, serpit malum, medullis infigitur, ad cor usque pervadit venenum, seditiosos motus ubique dispergit & mortem

nonnunquam accelerat. Lætitiæ affectibus affinis est ira, ignescente duris ardet ossibus dolor, increscunt animo discordiæ, acribus oculis ignis micat, stillant minaces, vix se sedibus retinent, torvus aspectus, & quem invasit illa mægera, violentus, audax, ferox, mutus suique dissimilis:

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina gorgoneo sævius angue micant.

incandescit sanguis, claustra perrumpit, tumultuantur spiritus, permixti humores separantur, transcolantur, in contrarias quandòque scinduntur partes; mens licet intacta & integra, uti perculsa cernitur, corporis motionibus obsecundat, & strictam utriusque necessitudinem apertissimè declarat. An rectum fiat functionum exercitium, spiritus debitè influant, æquabiliter propellatur sanguis, deviantesque succos ad pristinum statum reducere facilè, te sub judice lis sit. Febres diarias accendit ira, & si adsit cacochymia, putridas. Inopinatas subitaneasque mortes accersit. Quem urit effrenis amor, vulnus alit venis tacitumque vivit sub pectore, progressus calor labefactata currit per ossa, in corde horrent sagittæ, illas evellere arduum, occultus inspiratur ignis fallitque veneno, latiùs serpit mali contagium, calorem immodicum per artus dissèminat, pulsus inæqualis, modò celer, modò tardus; hebescit universum genus nervosum, musculi omnes influxu, quo debebant continuò roborari, defraudantur, nec uno respectu valetudini officit; emaciatio, colliquatio, tabes, mors. Quantâ curâ nascenti vesano amori fortiter obsistendum ex sequentibus depromas:

Nec Veneris, nec tu Vini capiaris amore
Uno namque modo Vina Venusque nocent
Ut Venus enervat vires: sic copia Bacchi
Et tentat gressus debilitatque pedes
. . . .
Denique cùm mentes hominum furiarit uterque
Et pudor & probitas & metus omnis abest.

Non minora exitia minatur metus; frigidus horror quatit membra, concretusque sanguis coit formidine, gelidus sudor manat è corpore, vox faucibus hæret, fugit color, auferuntur vires, ferè exanimem relinquit quem tetigit metus, mentem obnubilat, facultates animales perturbat, omnibus sensibus internis externisque ruinam intentat, vitiat & inficit cunctas actiones, vis imaginatrix læditur, canitiesque præmatura senectutem præcipitat: febres ex humorum commotione, morbique diuturni, ut epilepsia, oriuntur. Vita ipsa extinguitur. Invadit tristitia? post equitem sedet, æratas scandit naves, intimioresque penetrat recessus, humorum diathesim destruit, insignemque melancholiæ proventum exaggerat. Nec tædiosâ enumeratione affectuum animæ ulteriùs immorabor;

eorum ſiquidem effectus penſitando ad ſuperiores aut jam expoſitos referas. Quis enim ſanæ mentis intenſiora animi παθήματα functionum integritati infenſiſſima eſſe negabit? humani corporis fabricam ignorabit, liquorum ſcaturiginem, motum, diſtributionem, uſum non ſapiet; nec unde ſanitas, unde morbus habebit. Beatus itaque terque beatus ἀπαθὴς quem non torquet ambitio, avaritia non regit, nec iræ & amoris procellæ excruciant, immò vacuus & liber ab omni perturbatione animi.

Ergo ab animi pathematis functionum læſio.

Proponebat Pariſiis ANDREAS-JOSEPHUS SERON, Pariſienſis, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1721.
à ſextâ ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.